

*8 p 8* caussam suę veritatis ostendit: ratio enim eadem facit eundum mediorū numerum, postulanda igitur ista propositio fuerat, non demonstranda: Campanus hic adnotavit nullam superparticularem posse per æqualia dividi, secus inter duos numeros unitate differentes medijs numerus esset. ideoque tonus sesquioctavæ in duo semitonia non dividetur, sed in majus & in minus semitonium.

*9 & 10 p 8* verbosé proponuntur, breviter autem ita proponi possunt. Quot continuē medios habent primi inter se, totidem habent ad unitatem: & quot habent ad unitatem, tot habent inter se: decima autem magis est generalis, ut Campanus adnotavit, quia non solum de primis, sed de quibuscumq; numeris vera est, utraque autem consequarium est ē 2 p 8: frustraque à Theone & Campano demonstratur, multoque facilius erat ex eadem propositione medios istos, quām quadratos, & cubos concludere.

*11 & 12 p 8* speciales sunt ad 18 & 19 p 8. Itaque postpositæ consequaria tantum essent: Theon syllogismum hic nullum animadvertis.

*13 p 8* De continuis demonstratur non obscuré admodum, per 11 & 12 p 8, æquatio deinde per 14 p 7 adhibetur. In quo nihil est nisi mediorum inventio quædam.

*14 & 15 p 8* unicam propositionem poterat affirmare. Si figuratus æqualium laterum metiatur homogeneum, & latus metietur latus, & contrā: Neque causa quærenda erat: cum reciproca sit proprietas ad figuratos æqualium laterum, ut sint quadrati & cubi.

*16 & 17 p 8* Sunt negationes prius affirmatarū proprietatū, ut si dices. Si homo est, est risibilis: ut vulgus loquitur, & si risibilis est, homo est, unde negatū cōcluderes. Si non est homo, non est risibilis, & si non est risibilis, non est homo. Atqui præceptum artis debet imprimis esse affirmatum, & κατὰ παντὸς affirmatum. Quare propositiones hæc genere propositionis sunt ineptæ, genere demonstratio- nis ineptius sunt demonstratae. Sunt enim quatuor assumptiones & complexiones syllogismorum connexorum secundi modi. Prima pars 16 p 8 sic concluditur ē secunda parte 14 p 8. Si latus metiatur latus, & quadratus metietur quadratum. Ergo si quadratus quadratum non metiatur, neque latus metietur latus. Secunda pars 16 p 8 sic item concluditur ē prima parte 14 p 8. Si quadratus quadratum metiatur, & latus metietur latus. Ergo si latus non metiatur latus, neque quadratus quadratum metietur. Similiter 17 p 8 concluditur: prima pars nempe ē secunda parte 15 p 8 hoc modo. Si latus cubi metiatur latus, & cubus cubum metietur. Ergo si cubus cubum non metiatur, neque latus metietur latus. Item secunda ē prima sic. Si cubus metiatur cubum, & latus metietur latus. Ergo si latus non metiatur la- tus, neque cubus cubum metietur. Hæc sunt (inquam) syllogisticæ & assumptiones & complexiones, in quibus tamen syllogisticum nihil animadvertis vel Theon vel Campanus, datisque syllogismorum antecedentibus complexiones demonstrat.

*18 p 8* Est generalis ad 11 p 8. præpositaque caussam præponeret. Demonstra- tur quod mirere, per 17 & 12 p 7. & per 11 p 5. per quas easdem etiam specialis illa 11 p 8 demonstrata est, ut nulla profusa occasione, nisi sophisticarum demonstra- tionum specialis anteposita sit.